

7  
Pertinet ad Srum Fr. Nicolai Cascano filij huj. Com.  
Itex. anno 1777.


3  
C

BL 48  
.C 8  
67  
1769



FONDO  
PERE MALDONADO

IN EXPOSITA \* ( I ) \*



IN F E S T O  
B. MATTHÆI APOSTOLI  
ET EVANGELISTÆ  
CONCIO PRIMA,  
IN QUA LECTIO EVANGELICA  
explanatur.

THE. Præteriens Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Mat-  
thæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens, sequen-  
tus est eum. Matth. IX. 9.



REFERUNT historia  
Gentilium, Apel-  
lem illum inter  
pictores veteres  
celeberrimum, u-  
bi perfectissimum  
Helene regine simulacrum ab-  
solvisset, sui quoque ipsius ima-  
ginem in eadem tabula ad vi-  
vum expressisse, quo & opus  
illud insigne, & operis artifex,  
Tom. III.

posteritatis memorie commen-  
daretur. Hoc mihi sanctus evan-  
gelista Matthæus fecisse videtur,  
qui, ubi totius vitæ Domini Sal-  
vatoris imaginem, divinis colo-  
ribus adumbratam, ad omnium  
fidelium salutem & institutio-  
nem, velut in tabula quadam  
proposuisset, se quoque ipsum,  
hoc est, admirabilem vocatio-  
nem suam apertissima oratione  
de-

A

de-

descripsit. Qua in re tantum abest ut hac historia gloriam suam, quemadmodum Apelles, quaesierit, ut quum officii sui, quod exercebat, ignominia, nomen quoque suum, quod ceteri evangelistæ honoris ejus gratia tacuerunt, expresserit. Quum enim sanctis omnibus hoc semper propositum fuerit, ut Domini sui gloriam cum sua etiam ignominia quaerent; quidquid ad ejus gloriam amplificandam pertinebat, magnis vocibus prædicare curabant. Quum autem ingens divinæ bonitatis & potentiae gloria sit, ex vili rudique materia opus efficere præstantissimum; ideo non solum, quales ipsi facti a Deo sint, sed quales antea fuerint, diligenter conscripserunt. Sic Paullus (a) se ecclesiae persecutorem, blasphemum, & peccatorum omnium primum, aperta voce pronuntiat: ut hac ratione appareat, quantæ bonitatis & potentiae fuerit, hoc vas iræ & contumeliæ in vas electionis & gratiæ transformasse. Sic Matthæus, (b) se publicanum fuisse; ac per id temporis ad telonium sedisse, & debitorum rationes computasse scribit, quum ad evangelici & apostolici muneris functionem est a Domino

ineffabili & gratuita pietate vocatus. De hac igitur mirabili vocatione hodie dicturi, caelestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

#### AVE MARIA.

Inter ea, quæ Dominus partim admirandis operibus, partim sacrarum litterarum testimoniis nos docere voluit, hoc vel maximum est, ut omnes aperte intelligamus, quæcumque habemus, sive naturæ, sive gratiæ, sive quæ vulgus appellat fortunæ bona, ejusdem esse gratuita beneficia. Vult igitur, ut aperte intelligamus, ejus beneficium esse, (c) quod vivimus, quod movemur, & sumus: ejus esse corpus & animam, quam is in corpus nostrum efflavit: ejus esse vitam, salutem, vires, opes, facultates, & quidquid ad corporis usum pertinet: quodque his omnibus præstantius est, ejus esse, si quid recte & cum pietate gerimus, loquimur, & molimur. Hoc autem ita esse, Ecclesiasticus docet his verbis: (d)

„ bona & mala, vita & mors,  
 „ paupertas & honestas a Deo  
 „ sunt. Sapientia, & discipli-  
 „ na, & scientia legis, apud  
 „ Deum. Dilectio & viæ bono-  
 „ rum

(a) 1. Corinth. 15. 9. & 1. Timoth. 1. 13. (b) Matth. 9. 9. (c) Actor. 27. 28. (d) Eccli. 11. 14.

„ rum apud ipsum. „ Hoc item longa oratione sanctus ille Job, cum Domino agens, confitetur his verbis: (a) „ manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: „ & sic repente præcipitas me? „ Memento, quæso, quod sic „ ut lutum feceris me, & in „ pulverem reduces me. Nonne „ sicut lac mullisti me, & sicut „ caseum me coagulasti? Pelle „ & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me, „ vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum. „

Hac igitur oratione vir sanctus, quidquid in se habebat, uni Deo acceptum referebat. Sed quum omnia, quæ habemus, in illius muneribus & beneficiis numeranda sint; hoc tamen dona gratiæ præcipue sibi vindicant. Usque adeo enim quidquid recte gerimus, illius est, ut ne cogitare quidem aliquid pie & sancte sine ejus gratiæ ope valeamus. (b) *Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Idemque Apostolus alibi: (c) *cum metu, inquit, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim*

*qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quibus verbis non solum bona opera, sed sancta etiam desideria divinæ gratiæ beneficia esse confitetur. Cælestis vero magister appositissima similitudine hæc omnia complexus est, quum ait: (d) *sicut palmes non potest ex se ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.* Et mox: (e) *sine me, inquit, nihil potestis facere.* Denique sancti omnes in patria, ubi clarissimo divinitatis lumine fuerint illustrati, adeo aperte hoc ipsum intelligent, ut ad Dominum dicturi sint: (f) *omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Vere enim bona opera, quæ ipsi fecimus, magis Dei, quam nostra, dicenda sunt: propterea quod is præcipuus auctor extiterit, nos vero veluti instrumenta quadam ratione fuerimus, quæ ab illo ad bene agendum mota sunt. His igitur sanctarum scripturarum testimoniis, & multis aliis, quæ referre non est necesse, non obscure Dominus declarat, omnia bona nostra, ac præcipue justificationis gratiam, & æternam salutem, ejus esse singularia dona.

Nec his tamen testimoniis & ora-

A 2

ora-

(a) Job 10. 8. (b) 2. Corinth. 3. 5. (c) Philip. 2. 12. (d) Joan. 15. 4. (e) Ibid. v. 4. (f) Isai. 26.

oraculis contentus, ipsis etiam operibus hoc aperte demonstrat, quum non modo ad gratiam suam, sed ad sublimes quoque ecclesiæ suæ dignitates, multos hominum, nullis meritis præcedentibus, sola electionis suæ gratia vocaverit. Cujus rei multa & quidem clarissima exstant exempla. Quum Moyses (a) in terra Madian, propter admissum homicidii crimen, profugus habitaret, focerique sui oves in deserto pasceret, ad altissimum dignitatis gradum pæne invitus, & modis omnibus reluctans, a Domino electus est. David, dum idem officium exerceret, non modo ad regni solium (b) evocatur, sed etiam Spiritu sancto repletur. Amos rusticus & armentarius, & ruborum mora distringens, (c) prophetico spiritu donatur. Sed hæc in veteri testamento. Quid in novo, in quo meretrix (d) tam magno dilectionis & contritionis spiritu repletur, ut oculorum suorum fluentis pedes Domini potuerit abluere? In quo etiam latro, ob insignia latrocinia morti adjudicatus, tam potenter a Domino vocatus, tantaque luce subito completus est, ut supplicii sui

consortem aperta voce (e) cælorum regem confiteretur, & eo tempore confiteretur, quo apostoli, tot inspectis ante miraculis, partim fugerant, partim etiam eum negaverant.

Sed ad apostolos venio. Quid promerebantur Petrus & Andreas, (f) mittentes rete in mare, quum a Domino audierunt: *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*: hoc est, faciam vos humanæ salutis auctores, ecclesiæ principes, luminaria mundi, sal terræ, divinorum arcanorum interpretes, sæculi judices, & cælestium thesaurorum dispensatores? Quid etiam merebantur Jacobus & Joannes, quum, in reficiendis retibus (g) occupati, ad eundem dignitatis gradum a Domino cooptantur? Quod si hæc parva sunt, quid merebatur Paullus, quum, (h) spirans minarum & cædis in discipulos Domini, Christum persequeretur, & nascentem ecclesiam, furore infidelitatis ebrius, ubique locorum devastaret? Mille certe gehennæ huic tanto sceleris impares esse videbantur. Sed o immensa & vere prædicanda divinæ clementiæ largitas! Quo tempore ille terra dehiscente in

tar-

(a) *Exod.* 2. 3. & 4. (b) *1. Reg.* 16. 13. (c) *Amos* 7. 14. (d) *Luc.* 7. 37. (e) *Luc.* 23. 42. (f) *Matth.* 4. 18. (g) *Ibidem*, v. 21. (h) *Act.* 9. 1.

tartarum deturbandus erat, (a) rapitur in paradysum, fit apostolus & magister gentium, & audit *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Quis in hoc opere admirando immensas divinæ gratiæ opes non agnoscat?

Veniamus ad beatum Matthæum, cujus hodie festum celebramus. Quid is agebat, quum ad apostolici & evangelici muneris functionem vocatus est? Nempe ad telonium sedebat, & publicanorum officia exercebat, qui vectigalia ab hominibus extorquebant magis, quam exigebant. Quod quidem munus, præterquam quod vix sine peccato & pauperum oppressione exerceri potest, usque adeo infame apud populum habebatur, ut quum idem Salvator profligatissimum hominem significare vellet, ethnicum & publicanum (b) appellaret. Quod autem ad telonium non stare, sed sedere, perhibetur; fortasse indicat, quam secura mente turpi lucro & officio operam daret. Tres enim peccatorum gradus initio statim primi Psalmi (c) interpretes observant. Alii enim abeunt in viam peccatorum, alii stant, alii sedent. Hæc autem sessio magnam in pravis operibus animi securitatem designat. Hoc autem

Tom. III.

modo mihi Matthæus ad telonium sedere videbatur, quum est a Domino vocatus. Nihil enim minus tunc temporis animo tractabat, quam quod illi ex immensa Dei bonitate concessum est. O si nunc mihi ea mens a Domino concederetur, qua intelligere possem, quo affectu, qua devotione sancti evangelistæ anima perculsa fuit, quum hanc admirandæ vocationis suæ historiam adeo simplici & brevi oratione describeret! Quum enim ad mentem revocaret, in quibus tenebris tamdiu vixisset, seque, nihil minus aut cogitantem aut curantem, sola vocantis Domini misericordia, ad tam amplum dignitatis gradum vocatum fuisse, ut ex publicano apostolus, ex terrenorum bonorum dispensatore, arcanorum cælestium doctor fieret; quo putaris illum animo, qua mente, quo affectu erga illum fuisse, qui tanto se munere donaverit? An non igitur satis his exemplis constat, singularem justificationis gratiam, & salutem nostram, magnificentissimum divinæ benignitatis opus esse?

Nec solum prima justificationis gratia, sed quidquid etiam in gratia constituti pie agimus & molimur, ejusdem misericordiæ

A 3

be-

(a) *2. Corin.* 12. 4. (b) *Matth.* 18. 17. (c) *Psal.* 1. 1.

\* beneficium est. Ut enim non satis est, vigentes & sanos oculos habere, quo aliquid videamus, nisi aliunde adsit lux, quæ oculis objecta illuminet: ita non satis est, ut pie aliquid faciamus, mentem sanatam esse per gratiam, nisi adsit etiam interna vis Spiritus sancti, quæ nos ad operandum excitet, & nobiscum  
\* etiam cooperetur. Quemadmodum enim rerum naturalium formæ, quamvis alioqui in suo quaque genere perfectæ sint, efficere tamen per se nihil possunt, nisi adsit illis generalis primæ causæ omnia moventis virtus: ita quamvis gratia in genere suo perfectæ forma sit, nihil tamen homo æterna vita dignum efficere poterit, nisi cum illa auctor ipse gratiæ singulari quadam virtute atque ratione cooperetur. Nec enim fas est, ut qua virtute Dominus adest animantibus ut fetificent, & plantis ut fructificent, eadem adsit animæ, opera æterna vita digna molienti. Alia enim virtute ad finem naturalem, alia ad supernaturalem, nempe, supernaturali, opus est: quum finis, & quæ ad finem ordinantur, ejusdem ordinis atque dignitatis esse debeant. Unde liquet, non modo justificationem nostram,

qua prima gratia donatur, sed quidquid etiam post primam gratiam cum pietate agimus, divinæ clementiæ munus esse.

Quid igitur, fratres, ex hac philosophia, tot testimoniis & exemplis confirmata, sequitur? Primum quidem, ut quicumque peccati jugum a vobis excussistis, & ad justitiæ ac pietatis studium translati, veteris vitæ sceleribus renuntiastis; quicumque omnia prius perpeti, quam legale aliquod crimen admittere, parati estis; quicumque salutis vestræ negotium rebus omnibus antefertis, nihilque apud vos prius est, quam Domino Deo vestro famulari, illum diligere, illi obsequi, illius leges & mandata servare: hæc, inquam, omnia immensæ divinæ bonitatis liberalitati accepta ferre debetis. Fateor quidem, neminem per hæc fidei certitudine scire posse, se esse divinam gratiam consequutum; quum nemo scire possit, (a) *utrum odio vel amore dignus sit.* Nihilominus tamen hæc ipsa non vulgaria divinæ gratiæ indicia & argumenta sunt, quæ magnam piis hominibus consolationem præbent, & incertissimam spem salutis erigunt.

Ex hac item philosophia multa

(a) *Ecclesi. 9. 1.*

ta alia ad salutem nostram maxime necessaria consequuntur. Hinc enim primum vera cordis humilitas manat. Qui enim aperte intelligit, bona omnia, quæ habet, a Deo se habere; qua fronte animo erigi & gloriari poterit, quum sibi ipsi illud Apostoli dicere possit: (a) *quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Itaque hac ratione humilitatis virtute in animo constituta atque firmata, magnus ab ea hostis, nempe superbia, eliminatur: qua superbus homo sic divinis abutitur, quasi illa non a Deo, sed vel a fortuna, vel a se ipso, receperit.

Deinde ex hoc eodem fonte manat gratus in Deum animus, a quo videlicet, tamquam ab omnium bonorum fonte, vitam, salutem, vires, opes, & piæ cuncta opera & desideria profecta esse cognoscimus. Hinc procedunt illæ voces: (b) *repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Et: (c) *benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones*

*ejus.* Præterea hæc eadem philosophia stimulos dilectioni erga Deum addit. Si enim, ut Ecclesiasticus ait, (d) *secundum ligna silvæ ignis excitatur*: quantus divinæ dilectionis ignis in ea mente exardescet, quæ se tot divinis beneficiis obsessam ac pane obrutam videt? quæ, quocumque oculos converterit, nihil aliud, quam ingentem silvam, & innumera divinorum beneficiorum signa, contempletur? Quo modo enim non vitam suam ejus obsequio mancipabit, qui se solo ejus beneficio & in lucem prodiisse, & vivere & spirare intelligit? Si enim recte a philosophis dictum est: beneficium qui accipit, libertatem amittit: & qui beneficia invenit, compedes invenit: quo modo sui juris se esse patietur, qui se totum Deo debet? Quid quod ex hoc etiam fonte manat, ut homo supplicem se ac devotum illi exhibeat, a quo, quæ sibi desunt, bona sperare debet? Quisquis enim aperte intelligit, bona omnia ab illo inexhausto bonorum omnium fonte manare; quotandem, ubi se multis rebus, quæ ad bene beateque vivendum necessaria sunt, nudatum

A 4

cer-

(a) *1. Corin. 4. 17.* (b) *Psal. 70. 18.* (c) *Psal. 102. 1. 2.* (d) *Eccl. 28. 12.*